



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCVI. Vtrum merita mortificata per peccatum reutuisseant per
pœnitentiam, cum tota priori gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Art. 8. Qualiscunque verò fuerit pœnitentia debet adimpleri in statu gratiæ, vt sortiatur protinus effectum remissionis pœnæ Purgatorij. Quia opera facta in statu peccati sunt mortua, vt communiter, & verissimè dicitur, nec obsequia præstita ab inimico dum detinetur in inimicitia, possunt habere sufficientem efficaciam ad inducendam remissionem amicabilem pœnæ, quæ debetur propter peccata præcedentia. Cæterum, non obstante ea circumstantia, satisfiet præcepto confessarij; & subsistet complementum integrale Sacramenti. Atque recedente obice inducitur, ex opere operato remissio pœnæ Purgatorij, non minus, aut aliter, quam si ab initio præstitum fuisset opus satisfactorium in statu gratiæ.

Art. 9. Satisfiet quidem præcepto confessarij, & integritati Sacramenti. Quia iudex imponens pœnam respicit solam qualitatem operis eiusque proportionem cum delicto, & non qualitatem dignificationem operantis, cum operabitur, atque sub eadem ratione, sub qua imponitur, pertinet, ad integritatem Sacramenti. Operatur verò idem opus effectum remissionis pœnæ, recedente obice. Quia ostensum est supra in communi quæstione 30. Sacramentum valide, sed fide susceptum operari suum effectum, cum primum, recedit fictio, seu obex; idque locum similiter habet, in parte Sacramenti, valide superaddita, licet cum obice. In hunc igitur modum tenetur confessarius imponere, & pœnitens acceptare, atque exhibere satisfactionem congruentem peccatis.

Ad 1. Conceditur antecedens cum Suarez, & aliis quod bene ibi probatur, & confirmari potest ex dictis supra quæst. 87. pro negando præcepto confessionis ante articulum mortis ex natura rei præcisè. Eadem namque ratio est, vt negetur præceptum obligans ex natura rei, seu iure præcisè naturali ad quærendum remedium pro vitandis, aut minuendis pœnis temporariis Purgatorij, iam debitis ratione præcedentium peccatorum. Sed neganda est consequentia, quia institutio Sacramenti pœnitentiæ coniuncta cum præcepto obligante ad impediendas, vel certè minuendas pœnas Purgatorij per satisfactionem exhibitam pro statu viæ est benefica absolute, atque subleuatua, minimèque aggravatua, quatenus liberat à grauissima molestia, & cruciatu incomparabiliter maiori, per leuissimam tribulationem præsentem, vt dictum est: Vnde quod obligemur ad huiusmodi permutationem, est gratiosa, & liberalis indulgentia propria noui testamenti.

Ad 2. Sicut attritio ex adiuncto Sacramento, acquirit vim deletuam peccatorum, & inductiuam gratiæ sanctificantis, quam ex se non habet, ita opus satisfactorium; quod quatenus impositum à sacerdote, pertinet ad constitutionem intrinsecam Sacramenti, ex eodem Sacramento euadit multo efficacius ad remissionem pœnæ Purgatorij. Quod autem oportuerit, vt satisfactio exhibeatur à pœnitente, non ex proprio ipsius, sed ex sacerdotis arbitrio optima ratione conclusum est supra art. 6.

Ad 3. Vtus publicæ pœnitentiæ fuit frequentior antiquis Ecclesiæ temporibus, quam iam sit, vnde apud antiquiores scriptores solemne fuit, vt nomine pœnitentiæ, & pœnitentiam absolute prolato solam intelligerent publicam pœnitentiam, eosque solos, qui illam publicè peragerent, vt obseruant, & euincunt, post alios, Patres Petauius, & Martinon. Huiusmodi autem pœnitentes non admittebantur ad absolutionem sacramentalem, antequam exhibuissent satisfactionem sufficientem pro tollendo scandalo, & inducenda ædificatione, cæterorum fide-

lium. De hac itaque pœnitentia loquuntur Innocentius, & Sanctus Leo, vt apparet ex contextu, atque iidem illi authores luculenter demonstrant. Verum hoc non tollit quo minus in actu ipso absolutionis imponeretur denuo secreta pœnitentia pro tollendis pœnis Purgatorij, si sacerdoti absoluenti videretur ea esse ad id necessaria, multo verò minus concludi potest ex illo antiquo ritu esse de ratione Sacramenti Pœnitentiæ, vt pramittatur, ante absolutionem satisfactio aliqua, seu publica, seu occulta. Qua de re videri multa possunt apud prædictos authores diligenter, & eruditè tractata aduersus modernos nouatores. Nobis enim, & omnibus verè catholicis abundè sufficit vniuersalem Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, esse conformem doctrinæ à nobis traditæ circa modum confessionis, atque satisfactionis sacramentalis.

Ad 4. Causant quidem gratiam sacramentali legis, sed causant tamen per partes ipsorum essentiales, & cum primum sunt completa quoad essentiam. In qua videlicet includitur tota significatio, atque adeo tota vis inductiua gratiæ iuxta dicta supra in communi præsertim quæstione 29. Vnde; cum satisfactio sit pars solùm integralis Sacramenti, non est seorsim inductiua gratiæ ex opere operato, sed ad solam ordinatur remissionem pœnæ, eamque inducit protinus, si exhibeatur in statu gratiæ sin minus, cum primum remotus fuerit obex. Præterea cum exhibetur in statu gratiæ, inducit ex opere operantis augmentum gratiæ, idque euadit maius ex dignificatione peculiari, quam impertitur gratia, seu augmentum gratiæ præexistens ex vi essentia Sacramenti; atque hoc solum intendisse videtur D. Thomas, dum dicit quæst. 90. art. 2. ad 2. satisfactionem sacramentalem valere ad augmentum gratiæ. Verum hoc est commune aliis quoque omnibus operibus, cæteroquin meritoriis, quæ exhibentur post Sacramentum valide, & fructuose susceptum.

Ad 5. Idem opus satisfactorium est fructus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentiæ Sacramenti, vt dicit ibidem D. Thomas ad 3. qui meritò accipit in hunc sensum verba illa Euangelij de fructibus dignis pœnitentiæ, sed non tollitur per hoc, quominus eadem sacramentalis satisfactio, habeat aliquo modo rationem fructus, comparatione etiam ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, considerati secundum essentiam suam, quatenus gratia præhabita ex vi essentia, iuuat ad opus satisfactorium postea exhibendum, atque auxilia gratiæ actualis ibidem præhabita cooperantur eidem operi peragendo, atque præoperantur in animo pœnitentis, vt illud operetur. Hoc nempe modo viuientia omnia materialia, cum primum existunt quoad essentiam suam incipiunt superaddere sibi actiuitate sua partes integrales substantiæ suæ; atque Sacramentum est principium vitæ spiritualis, ideoque potest vi essentia suæ, inducere similiter partem aliquam integram sui; ita vt idem opus sit simul, & fructus essentia Sacramenti, & pars vltimo completiua eiusdem integraliter.

QVÆSTIO XCVI.

Virum merita mortificata per peccatum reuiuiscant per pœnitentiam, cum tota priori gratia?

Videntur non reuiuiscere merita, nec redire tota gratia, 1. Quia Ezech. 18. sicut dicitur v. 21. de peccatore, deinde pœnitentiam agente: *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius*

eius non recordabor: ita dicitur v. 24. de iusto, qui delabitur in peccatum, *si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. Omnes iustitias quas fecerit, non recordabitur*. Ita autem obliuiscitur Deus præcedentium peccatorum ratione penitentiae subinde peractæ, ut eadem peccata nequaquam redeant, aut reuocentur practicè in memoriam, tametsi peccator iustificatus postea iterum relabatur. Quòd quidem est iam, apud omnes Theologos omnino indubitatum, quidquid olim dubitauerint nonnulli cum magistro. Ergo ita obliuiscitur Deus præcedentium etiam meritorum ratione peccati, deinde superuenientis, ut eadem merita, nequaquam reuiuiscant, nec Deus amplius eorum meminerit practicè; tametsi peccator penitentiam ritè peragat, & iustificetur. Pater consequentia. Quia eodem prorsus modo asseritur apud Ezechielem, tum obliuio peccatorum ratione iustificationis, tum obliuio meritorum ratione peccati. Ergo siquidem altera obliuio nempe peccatorum, non est conditionata, sed omnino absoluta, altera quoque obliuio, nempe meritorum, est pariter omnino absoluta, nec subintelligi potest hæc conditio; *nisi subsequatur penitentia, & iustificatio*.

Accedit nullam esse capacitatem ex parte materiæ ad intelligentiam eatenus diuersam, & contrariam locationis prophetiæ utrobique vniuersis. Quia vis demeritoria, & prouocatiua iræ Dei, quæ inest peccato lethali non est minor, sed multo maior, quam vis demeritoria, & conciliatiua amoris Diuini continens penitentia. Ergo siquidem penitentia delet peccata præcedentia omnino absolute, & irreuocabiliter; multo magis peccatum subsequens extinguit merita præcedentia, omnino absolute, & irreuocabiliter.

2. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. sub initium, non aliter promittit bonis iustorum operibus coronam gloriæ, quam superaddita eorum perseuerantia, usque ad finem, dum dicit: *atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia, &c. tanquam merces*. Ii autem qui ita bene operantur; ut postea labantur in peccatum, non possunt dici bene operantes usque in finem quandoquidem eo ipso interrumpunt seriem, & propositum bonæ operationis. Igitur merita, quæ seu moriuntur, seu mortificantur per subsequens peccatum, non reuiuiscant vnquam, nec valent amplius inducere mercedem vitæ æternæ; tametsi peragatur postea perfecta penitentia de peccato, eiusque remissio tandem obtineatur.

3. Opera utcumque alioquin bona, & supernaturalia facta in statu peccati, quæ propterea communiter dicuntur mortua, non viuificantur ad meritum vitæ æternæ per subsequentem iustificationem. Ergo opera eiusdem rationis facta in gratia, ideoque viua pro tunc, siue deinde mortificantur, seu potius moriantur vi subsequentis peccati, nequaquam reuiuiscunt; tametsi deleatur postea peccatum per subsequentem penitentiam, & iustificationem. Antecedens est certum apud omnes. Probatur consequentia. Quia gratia habitualis, quatenus existens, & subinducta pro tempore posteriori, perinde non afficit, nec informat opera bona temporis anterioris, siue fuerint facta in gratia, siue fuerint facta in statu peccati. Ergo neutrum potius, quam alterum eorum operum genus, potest vigere, & viuificari ratione gratiæ, quatenus subinducta, & existentis pro tempore posteriori. Imo quia difficilius est, eum resurgere, qui vixit, & mortuus est, quod est miraculum, quam ut incipiat viuere, qui nunquam vixit, quod naturaliter euenit; conuincitur difficilius reuiuiscere merita prius viua, & deinde mortificata,

aut mortua, quam viuificari, quæ nunquam fuere viua.

4. Non repugnat, ut remittatur peccatum totaliter, & absolute quoad culpam, simulque non remittatur quoad poenam, saltem partialiter. Imò certum est ex fide id sæpè euenire. Certum namque ex fide est, sæpè euenire, ut supersint poenæ in Purgatorio luendæ propter peccata, tum lethalia, tum venialia iam ante remissa quoad culpam per contritionem, vel Sacramentum. Præterea in hoc ipso Pœnitentiæ Sacramento imponitur satisfactio, per quam obtineatur remissio poenæ temporalis, postquam obtenta iam est remissio culpæ per absolutionem, ut paulò prius dicebatur. Mortificatio autem præcedentium meritorum, & ablatio gratiæ habent rationem poenæ respectu subsequentis peccati, per quod mortificantur, seu perimuntur merita, & excluditur gratia. Fieri igitur potest, ut subsequens istud peccatum remittatur quoad culpam, & supersit nihilominus absque remissione, pars illa poenæ, quæ consistit in mortificatione præcedentium meritorum, & in priuatione gratiæ præexistentis, vel saltem, quæ in alterutra consistit, ac proinde fieri potest, ut neque merita reuiuiscant, neque redeat gratia prius amissa, tametsi subsequatur iustificatio, atque peccatorum remissio quoad culpam, necnon quoad poenam damnationis æternæ.

5. Deus operatur circa vnumquodque subiectum, pro vnaquaque temporis differentia, iuxta præsentem pro tunc dispositionem eius, & non iuxta dispositionem existentem pro alio tempore priori, aut posteriori. Ergo si dispositio peccatoris dum iustificatur non sit tantæ proportionaliter intensiōis, quanta erat intensio gratiæ præhabiti ratione præcedentium meritorum, ac dispositionum, non infundetur iterum tota ea gratia in instanti subsequentis iustificationis; sed infundetur, vel quanta correspondet præsentī intensiōi dispositionis; idque indiuisim ex toto cumulo gratiæ prioris, vel ex vna qualibet eiusdem parte scorsim quatenus collata propter vnumquodque ex meritis præcedentibus, vel quantā præcisè danda erat independentē à meritis præcedentibus, superaddita sola multiplicitate specialium titularum, ob quos ea quantitas gratiæ conferatur iuxta multiplicitem eorundem meritorum, vel denique conferretur de præsentī, solum semel recipiendæ totius gratiæ prioris in termino vitæ. Quibus omnino modis expediunt præsentem difficultatem nonnulli Theologi, præsertim ex Thomistis.

6. Merita mortificata per peccatum non possunt in primis viuificari iterum ratione iustificationis deinde subsequentis, redeundo physicè secundum se formaliter, ut per se patet; quandoquidem permanent nihilominus in ratione purè præteritorum formaliter, secundum se præcisè. Deinde neque viuificari iterum possunt, redeundo moraliter ratione alicuius effectus physicè præsentis, & inducti de præsentī vi eorundem meritorum. Quod duplici argumento efficaciter concluditur. Alterum est, quia nullus effectus procedere potest, de præsentī, à causa quæ non subsistit de præsentī, pro priori naturæ, independentē ab eodem effectū, & cuius inducendæ nullam vim habet causa; ut aliunde præexistens, vel de præsentī, vel saltem de præterito. Alterum est, quia effectus sufficiens ad reditum, & præsentiam moralem priorum meritorum, nullus alius esse, aut probabiliter excogitari potest, quam prior gratia habitualis, quæ præhabita fuerat ex vi talium meritorum. Reditus autem prioris huius gratiæ, non sufficit ad reditum, & præsentiam moralem priorum meritorum. Quod duplici rursus argumento conficitur: Alterum est, quia reditus prioris priuationis gratiæ, ex communi, &

certissima

certissima Theologorum sententia est insufficiens ad reditum, & præsentiam moralem priorum peccatorum quibus per iustificationem deletis succedit denuo aliud peccatum, vti cuius inducitur denuo priuatio totius gratiæ quantacunque, & quodocunque præcesserit. Alterum est, quia si reditus gratiæ, essentialiter inclusæ in conceptu iustificationis, vt dictum est quæst. 8. de iustificatione, redderet moraliter præsentia, atque viuificaret præcisè ratione sui, omnia merita præcedentia; ne quidem de potentia Dei absoluta fieri posset, vt iustificaretur peccator, qui prius fuisset iustus, ac meruisset, quin eo ipso reuiuisceret; quæcunque merita præcessissent in ipso. Id quod nonnullis doctis Theologis videtur prædurum, minimèque ferendum. Quale etiam eisdem videtur, quòd de potentia absoluta fieri non possit, vt redeant denuo peccata semel delata per pœnitentiam, si eidem pœnitentiæ deinde succedat aliud peccatum. Nullo igitur pacto reuiuiscere possunt merita semel delata per peccatum.

Art. 1. Respondetur. Opera bona supernaturalia facta in statu gratiæ dicuntur communiter, & sunt interim viuia. Quia procedunt à principio vitæ spiritualis; quod est gratia, & inducunt augmentum eiusdem gratiæ, idest eiusdem vitæ, ideoque vitam præ-existent, & exercent, & promouent. Opera lethali ter mala dicuntur, non solum mortua, idest carentia principio, & effectu vitæ; sed etiam mortifera, & mors ipsa; quia inducunt priuationem gratiæ, ideoque auferunt vitam spirituales. Opera bona facta in statu peccati, dicuntur simpliciter, ac præcisè mortua, quia licet non noceant, sed aliquatenus prosint operanti, vt dicit ex Augustino, & Gregorio, D. Thomas in hac quæst. 89. art. 6. ad 3. carent tamen principio vitæ, nec prosunt efficaciter in vitam æternam.

Art. 2. Certum est, opera, tum mortifera, tum mortua, nunquam viuificari posse, aut reuiuiscere. Quia mortifera intrinsecè repugnant vitæ, & mortua carent principio vitæ, nec ab eo procedere possunt post iustificationem, quatenus præextiterunt tempore præcedenti. Opera viuia, si deinde superueniat peccatum lethale, dicuntur, non quidem mori, seu esse mortua, quia id non tollit, quominus processerint à principio vitæ, & permaneant in mente Dei, quatenus processerint pro tunc ab illo; bene tamen dicuntur mortificari, & esse mortificata. Quia, per peccatum superueniens, impediuntur ab operatione, & effectu vitæ, seu quominus prodesse re ipsa proximè possint in vitam æternam. Quia videlicet, & cuius omni iure proximo, ac absoluto, priuat peccatum lethale, quod interponitur. Eadem opera primum viuia, ac deinde mortificata liberari, atque sanari ab ea mortificatione, ac proinde reuiuiscere per subsequenter iustificationem, nihil est aliud, quam redire in pristinum statum, quoad acceptationem, & practicam complacentiam Diuinam; id est quoad vim inductiuam præmij quod ratione illorum debebatur, & collatum, aut conferendum erat, nisi interuenisset peccatum, per quod mortificata fuerent. Queritur ergo, an talia opera in hunc modum reuiuiscant per subsequenter iustificationem, & reditum gratiæ habitualis.

Art. 3. Prætermisiss pluribus hac de re opinandi modis, qui insinuati fere sunt in quinto argumento, & videri possunt fusius expositi, præsertim apud Suarez, in relect. de hac materia disputatione 2. & à nobis prætermittantur, quia omnes vna, eademque impugnatione reiciuntur indiuisim, quatenus differunt à sententia quæ nobis videtur vera. Iis inquam prætermisiss dicendum est primo repugnare, vt peccator postquam iustificatus est, luat nihilominus pœnam aliquam æternam, æter-

námque patiatur amoris erga se Diuini, aut alienationem, aut diminutionem, ratione præcedentium peccatorum. Quia peccator, per subsequenter pœnitentiam, & iustificationem reconciliatur perfectè cum Deo, & init veram, cum eodem amicitiam, Claris nimirum sacrae paginæ testimoniis, & efficacibus rationibus Theologicis ostensum est q. 39. de virt. Theol. intercedere veram, ac propriam, Deum inter, & iustos amicitiam; atque Sacramentum Pœnitentiæ est verè, ac propriè reconciliatiuum peccatoris cum Deo, vt innotuit supra quæst. 85. ex communi eius definitione, & ex Concilio Tridentino. Est autem, contra conceptum amicitiae, & reconciliationis veræ voluntas infligendi amico sincerè reconciliato pœnam aliquam æternam in vindictam anterioris alicuius offensa. Quia æternitas pœnæ, ac vindictæ, propter offensam, contradicit beatitudini, ac felicitati patientis, præsertim beatitudini consistenti in visione, & amore mutuo punientis, ac vindicantis, vt apparet ex quæstione 3. de act. hum. cum tamen sit de ratione amicitiae velle beatitudinem, ac felicitatem amici, eamque sit certissimum esse volitam à Deo omnibus iustis, iisdemque amicis suis. Similiter est contra præceptum perfectæ, ac sinceræ reconciliationis, vt alteruter ex reconciliatis gerat animi offensam præcedentium memorem adhuc practicè, ita vt, propter illas prosequatur alterum minori amore, quam prosequatur foret, si non præcessissent offensa. Nam qui propter offensas priores adhuc cohibet amorem alioquin impendendum, ac debitum, adhuc offenditur illis, eisdemque indignatur; ac proinde nondum est reconciliatus absolute, nec tam deponit odium, quam minuit, & per consequens odit adhuc simpliciter. Certè non amat, nec reconciliatur simpliciter. Quia amor, ac reconciliatio vera, & absolute talis totum odium, omnemque penitus offensionem, exterminat ex suo conceptu.

Art. 4. Dicendum rursus est, si peccatori pœnitentiam agenti, atque iustificato denegetur nihilominus aliqua pars gratiæ præhabita ante peccatum, aut merita priora non redeant totaliter ad priorem acceptionis Diuinæ gradum, cum omni suo effectu; eo ipso peccatorem iam iustificatum in sensu composito iustificationis, pati pœnam aliquam æternam, atque æternam amoris erga se Diuini diminutionem, propter peccata iam dimissa. Quia gratia habitualis, seu habitus charitatis est qualitas suapte natura permanens æternum, atque de facto confertur à Deo, cuiusque confertur, voluntate nunquam auferendi, nisi in pœnam peccati, vti ostensum est, ex conceptu præsertim amicitiae modo notatæ cum Deo, in eadem quæstione 39. de virt. Theolog. ad 8. Consequenter merita, quæ aliquando fuere viuia, habent effectum ex sua natura permanentem æternum, nec negabilem pro aliqua temporis differentia, nisi in pœnam peccati, quandoquidem effectus eorum meritorum, est ipsa gratia, & vita æterna. Præterea eadem habitualis gratia, secundum suam intentionem maiorem, vel minorem, est iusta mensura amoris Diuini, maioris, vel minoris erga vnumquemque, vti liquet ex quæst. 8. iustif. & colligitur clarè quæstione 25. de Deo. Patet autem, priuationem boni ex sua natura æterni, solumque negabilis in pœnam peccati, atque mensurantis iustè amorem amicabilem diuinum erga vnumquemque habere rationem pœnæ æternæ, atque continere in se æternam diminutionem amoris Diuini, erga eum, qui priuatur tali bono, eamque inductam per peccatum, atque permanentem solum propter peccatum. Certa igitur est condicionalis proposita; sicut certa itidem est prior positio absoluta.

Art. 5. Ex his porro duobus principiis apparet manifeste merita mortificata, per peccatum, redire, ac reuiuiscere, per subsequenter deinde poenitentiam, ac iustificationem: idque cum tota gratia praesistenti; vnde cum demum ea prouenisset; nempe siue prouenisset ex iustis meritis, siue ex opere operato per virtutem Sacramentorum. Priori namque gratia, aut aliqua eius, vel minima particula non redeunte post iustificationem, aut aliquo priori merito manente adhuc impedito à plenario suo effectu, ac premio, homo iustificatus pateretur nihilominus poenam aliquam aeternam praecedentium peccatorum, atque aeternam amoris erga se Diuini diminutionem propter eadem peccata. Quam sequelam esse legitimam, atque consequens esse absurdum constat clare ex praedictis duobus principiis immediate praemissis. Ergo merita mortificata per peccatum, reuiuiscunt, cum tota gratia praecedenti, ex vi poenitentiae, & iustificationis subsequenter.

Art. 6. Communis Theologorum consensus, pro hac sententia, vsque adeo vna, nimis, vt oppositam reddat improbabilem, ac temerariam sub terminis generalibus reuiuiscantiae meritorum, habetur inter alios apud Suarez vbi supra, disp. 1. sect. 2. Superaddit praeterea idem author ibidem plura valde efficacia SS. PP. praesertim Augustini testimonia pro eadem veritate. Idem insuper praemittit, in eundem scopum sect. 1. aliqua sacrae paginae, & Concilij Tridentini testimonia cum multiplici, & accurata ponderatione. Verum, quantum ego assequi possum, & ipse quoque Suarez partim agnoscit, sacrae Textus, non tam efficaciter fauet huic sententiae directe, & immediate, quam indirecte, & mediate, quatenus efficacissime fauet immediate duobus illis principiis, ex quibus ea deducitur legitime, ac manifeste. Ob ea igitur sola, & ob consensum Theologorum, & SS. PP. firmissime tenenda est reuiuiscantia meritorum, & reditus totius gratiae prioris per subsequenter poenitentiam, ac iustificationem; ita vt nemo patitur, pativè possit vllum, vel etiam leuissimum aliquo nocumentum aeternum, dependenter à vi demeritoria peccati iam à Deo condonari.

Art. 1. ad 1. Ex illis duobus locis Ezechielis, aliisque quoad utramque partem similibus hoc solum concluditur legitime, Deum obliuisci practice, quantum absolute fieri potest; tum peccatorum ratione poenitentiae, & iustificationis subsequenter; tum meritorum ratione peccati, & inimicitiae pariter subsequenter. Verum capacitas obliuionis practicae est longè diuersa, circa peccata, & circa merita. Quia obliuio meritorum, ratione peccati superuenientis, non potest esse talis, vt non redeat eorundem memoria practica redeunte amicitia, & facta perfecta reconciliatione, vti conuincit superior discursus. At obliuio peccatorum, inducitur per poenitentiam, & iustificationem subsequenter, talis necessarium est, vt eorundem memoria practica redire nequaquam possit, redeunte offensione, & inimicitia. Quia non est de ratione offensionis, & inimicitiae de nouo conceptae, vt renouetur totum odium praecedens; quandoquidem qui offenditur de nouo, potest esse inimicus offendentis, per solum odium commensuratum soli postremae offensa secundum se, quin reassumatur odium vetus, quod conceptum olim fuerat propter offensas iam deinde remissas. Imo est contra conceptum verae remissionis, vt tale odium reassumatur aliquando, redditurque iniqua reassumptio ista, per eam remissionem. Eadem namque ratio, quae probat nihil perire posse demeritis praesistentibus ante peccatum, ratione peccati, iam condonati, atque in veram cum Deo reconciliationem,

nam, & amicitiam commutati, probat etiam, & quidem probat aequè efficaciter, eodemque prorsus modo, peccata semel remissa per eandem veram cum Deo amicitiam, sinceramque reconciliationem redire deinde numquam posse. Aequè enim nocet, ac contradicit verae amicitiae veraeque reconciliationi augmentum malorum, & diminutio bonorum, idest reditus peccatorum, ac demeritorum, & impeditio bonorum operum, ac meritorum pro quouis impofterum euentu, postquam eadem peccata abolita iam semel fuere per veram reconciliationem, & amicitiam, qua superinducta, & nullo alio pacto Deus potest condonare peccata, vt dictum est ex professo quaest. 8. de iustif. Itaque diuina peccatorum remissio, talis necessarium est, qualis exprimitur Michea 7. 19. Vbi praemisso Deum esse, qui aufert iniquitatem: subiicitur: *Proiecit in profundum maris omnia peccata nostra.* Nempe non contentus ea simpliciter demergere, impetu infus per facto, proiciens proprio, ita à se eadem propellit, vt nullum, apud ipsum, superfit illorum vestigium, atque in eam immensa vastitatis voraginem detruit, vnde transparenere, aut emergere amplius nunquam possint. De meritorum verd per peccatum submersione, nulla talis expressio vllibi reperitur.

Art. 2. Manifestatur magis ista bonorum, & malorum operum differentia, atque confirmatur vltiori ista ratione discriminis: Quia videlicet ius resultans ex peccato fauet soli offenso, & non offendent. Vnde offenso renunciant iuri suo simpliciter, & absolute, quod necessarium facit, quicumque sincere reconciliatur, & init veram cum offendentem amicitiam, eo ipso non solum impeditur ad tempus, sed etiam euanescit penitus, & interit irreparabiliter totum ius fundatum in offensis remissis, nec fieri potest, vt redeat vnquam pro vllò euentu, aut sub vlla conditione: Quia iura cuiusque pendent in esse, & conseruati ab ipsius voluntate, & acceptatione, vt dictum est quaest. 4. de iustitia, ideoque volente aliquo renuntiare absolute alicui suo iuri, eo ipso euanescit penitus, atque interit, & non solum impeditur, & ligatur idem ius, nec fieri potest voluntate taliter renunciantis, vt iterum aliquando redeat, seu reassumatur valide, renitente parte, in cuius fauorem facta erat renunciatio. At ius resultans ex meritis fauet merenti, eique inhaeret. Vnde peccatori, qui prius meritis fuerat, impeditur quidem, & ligatur ius fundatum in prioribus meritis; non tamen interit, ac penitus euanescit. Quia qui peccat, non propterea intendit renunciare iuribus suis, sed nocet sibi in actu exercito, quam minimum fieri potest. Non ergo extinguit iura meritorum suorum, sed impedit tantum, ideoque iterum ea vigent, cum primum impedimentum peccati amotum fuerit per subsequenter iustificationem. Quapropter, licet vis demeritoria peccati sit maior, quam vis meritoria boni operis, dum vtraque subsistit; tamen vis meritoria, succedente deinde peccato, & inimicitia cum Deo, impeditur tantum & non moritur omnino: vis verd demeritoria interit penitus, nec solum impeditur, succedente deinde iustificatione, reconciliatione, & amicitia cum Deo.

Art. 3. Confirmatur rursus eadem ratio discriminis. Quia tota malitia peccati consistit adaequate in priuatione, vt dictum est quaest. 29. de act. hum. Priuatio autem quaelibet interit totaliter, & non solum impeditur, ac ligatur superinducto deinde bono, cuius erat priuatio. Certum verd est, per remissionem peccatorum, & iustificationem subsequenter, superinduci bonum illud, in cuius priuatione consistit malitia peccati lethalis; quandoquidem superin-

ducitur gratia habitualis, & coniunctio amicebilis, & charitativa hominis cum Deo, à quo fuerat auersus per peccatum. Intereunt igitur penitus, nec solum impediuntur, aut ligantur peccata, ratione subsequens iustificationis, nec amplius permanent villo pacto quoad suam malitiam, vel secundum se, vel in aliquo suo effectu conservatio ipsorum habitualiter. Quod autem semel definit esse totaliter in rerum natura, nunquam deinde potest operari quidquam, aut vllum deinceps effectum inducere pro villo euentu, aut sub aliqua conditione. At bonitas operum salutarium, & vis eorum meritoria adæquate est aliquid positivum. Vnde esse ipsorum, & vis eorundem meritoria, impediuntur quidem atque ligantur per subsequens peccatum, non tamen intereunt, aut penitus desinunt esse, sed permanent nihilominus in mente Dei, cum tota sua virtute inductiva præmij, eruptura proinde in actum, atque inductura de facto totum suum præmium, cum primum sublatum fuerit impedimentum peccati, quod auferitur per subsequentem eius remissionem. Nempe permanentia habitualis meritorum non ita constituitur per actualementiam gratiæ sanctificantis pro tempore sequenti, sicut constituitur per actualementiam perseverantiam privationis gratiæ pro tempore sequenti, permanentia habitualis peccatorum; sed illa vigent ex se præcisè, quatenus permanentia in mente Dei; hæc verò ratione sui effectus, qui est privatio gratiæ, & coniunctionis amicebilis cum Deo. Ex his itaque omnibus, & singulis patet aditus dispari intelligentiæ textuum inter se similibus Ezechielis, & aliorum, nec possunt verificari iuxta sensum, quem permittit materia utrobique subiecta, quin mortificata reuiuiscant per subsequentem iustificationem, peccata verò remissa non similiter redeant superueniente nouo peccato.

Art. 1. Ad 2. Perseuerantia vsque in finem accipitur, ubique à Concilio iuxta phrasim, & communem intelligentiam Augustini, & aliorum SS. PP. pro clausula vitæ in gratia, siue status iustitiæ fuerit sæpius interruptus, siue nunquam interruptus fuerit. Patet verò hunc sensum bene operantis vsque in finem, seu perseverantis finaliter nihil obstat assertæ reuiuiscentiæ meritorum.

Art. 2. Imo eidem fauet plurimum initium illius capitis 16. Quod sic habet: *Hæc igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conservauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino: Non enim iniustus est Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Vbi duo occurrunt observanda. Alterum est, proponenda esse iustificatis Apostoli verba non solum iis, qui acceptam gratiam perpetuo conservauerint, sed iis etiam, qui iam amissam denuo recuperauerint. Quæ partitio non satis apparet, quam foret opportuna, aut qua utilitate, aut etiam veritate posterioris eius pars superadderetur priori, si recuperata gratia amissa, non simul redirent, ac reuiuiscerent priora merita. Alterum est, prius illud Testimonium ex 1. ad Corinth. 15. *abundate &c.* pertinere ad priores illos, qui acceptam gratiam perpetuo conservant: posterius Testimonium, ex cap. 6. ad Hebr. *Non enim iniustus est Deus &c.* Videri similiter pertinere ad posteriores illos, qui gratiam amissam recuperant. Ut videlicet Hebræi allicerentur multo magis adiuncta spe obtinendi præmia priorum etiam operum, & dilectionis quam tempore antecedenti ostenderant in nomine Dei. Ex utroque autem capite promouetur plurimum doctrina tradita de reuiuiscencia meritorum.

Art. 3. Eodem pertinet, quod dicitur ad medium eiusdem capitis 16. Bonis iustorum operibus, quæ in Deo sunt facta nihil deesse, quominus vitam æternam promereantur, & consequantur, si tamen in gratia decesserint. Quod non verificatur si vltra decessum in gratia requireretur etiam status eiusdem gratiæ nunquam interruptus post opera facta in Deo. Itaque Concilium potius fauet, fauetque plurimum nostræ sententiæ.

Ad 3. Opus bonum redditur meritorium de condigno, per gratiam quatenus influit in ipsum, dum fit, & non præcisè quatenus informat operantem, ut dictum est quæst. 32. de act. humil. Vnde præter obiectiōis est nulla. Iam opera, quæ aliquando fuere viua, non tam moriuntur, quam mortificantur, & impediuntur ab opere vitæ, per subsequens peccatum, ut apparet ex superioribus. Quapropter vox reuiuiscendi non usurpatur in toto suo primario rigore, quoad ea merita, idcirco non est locus ponderationi obiectiōis, ut apparet clarius ex dictis ad 1.

Ad 4. Pœnalitates ad tempus non opponuntur simpliciter felicitati, nec vlli gradui dilectionis diuinæ erga patientem, ut patet exemplo Christi Domini, & felicissimi, à Deo dilectissimi, dum erat passibilis, & plurimum patiebatur. Opponitur verò, tum felicitati, tum amabili dilectioni Dei mortificatio meritorum, & denegatio gratiæ præcedentis, in pœnam peccati subsequentis, non obstante eius remissione, ac iustificatione, ut apparet ex dictis. Vnde posteriora ista mala superesse, nullo pacto, nullaque ex parte possunt post iustificationem; licet priora illa superesse nihilominus possint in aliqualem pœnam peccati, quatenus fuit conversio ad creaturam, & delectatio circa illam non permessa. Nempe peccatum sub hoc conceptu, est quid positivum, idcirco potest manere aequaliter, & inducere pœnam aliquam temporalem, non obstante iustificatione, per quam solum aboletur, & extinguatur totaliter, quatenus est auersio à Deo, & habet vim inducendi pœnam æternam, Cuius distinctionis claritas apparet ex dictis art. 3. ad 1.

Ad 5. Concesso antecedenti negatur consequentia. Quia dispositio sufficiens ad iustificationem est eo ipso sufficiens ad perfectam reconciliationem, & amicitiam cum Deo; & consequenter ad præsentem redintegrationem adæquatam omnium iurium, & possessionum præcedentium, quæ sunt permanentia ex sua natura, æternumque permanens erant, nisi intervenisset peccatum. Quod postea deletum est per iustificationem, quæ est indistincta à reconciliatione, & amicitia perfecta cum Deo, ut dictum est quæst. 8. & 9. de iustif. fallit nonnullos in hac re paritas falsæ apparentiæ ex dispositionibus purè physicis, à quarum natura, & modo operandi quam longissime distant dispositiones morales, utpote inducentes suum effectum morali causalitate, quatenus cognoscuntur à Deo, & media cognitione permouent eius voluntatem. Ea, quæ ulterius superaddunt in obiectiōe de titulis multiplicatis, de dilatione præmij vsque ad mortem, & similia rejecta sunt in simili opportune quæst. 42. de virt. Theol.

Ad 6. Merita mortificata per peccatum semper nihilominus permanent physicè præsentia intentionaliter in mente Dei, atque mediante ea cognitione possunt exercere denuo vires suas, & inducere gratiam, cum primum amotum fuerit impedimentum peccati; inducta verò gratia redduntur de nouo præsentia moraliter in ipso merente, eundemque efficientia intrinsecè, quatenus physicè ipsi inheret gratia infusa intuitu illorum. Hinc patet ad rationem obiectiōis in contrarium. Primum enim causa

vno modo praesens, independenter à suo effectu, potest rursus reddi alio modo praesens per eundem summum effectum, neque in hoc apparet vllum inconueniens. Deinde homini iustificato redditur prior gratia ratione priorum meritorum. At priuatio gratiae, qua consistit in indiuisibili secundum se, inducit solum ratione peccati subsequenter, vt liquet ex tota responsione ad 1. Postremo fundamentum conclusionis, & ratio discriminis reddita in eadem illa responsione concludunt, nec de potentia Dei absoluta, fieri posse, vt vel non reuiuifcant priora merita per iustificationem, vel redeant priora peccata ratione relapsus. Quod quidem cedit potius in maiorem Diuinae potentiae commendationem, vtpote non potentis iustificare peccatorem, eique reconciliari imperfectè, aut scilicet, quod facit imperfectio potentiae humanae; sed tantum realiter, ac perfectè, quod est proprium perfectissimae potentiae. Quare moderni illi Theologi audiendi nequaquam videntur, quatenus adherent nimium modo operandi humano, cum agitur de modo operandi Diuino, eoque quodammodo diuinissimo in remissione peccatorum, vt dictum est quaest. 5. de iustificatione.

INCIPIVNT QVÆSTIONES
de Sacramento Extremæ Vnctionis.

QVÆSTIO XCVII.

*Vtrum Extrema Vnctio sit verum Ecclesiae
Sacramentum?*



IDEATUR non esse. 1. Quia non legitur in sacris litteris institutum fuisse à Christo Domino tale sacramentum, nec in sacramentis veteris legis, quae fuerunt figuratiua sacramentorum nouae legis, reperitur sacramentum, aliquod assimilatiuum Extremæ Vnctionis, qua vtitur Ecclesia. Ergo Extrema Vnctio non est verum nouae legis sacramentum institutum à Christo Domino.

2. Diuus Dionysius, exponens cap. 2. Eccles. Hierarch. sacramenta à Christo Domino instituta, non meminit Extremæ Vnctionis; Immo ipsum excludit à numero sacramentorum, dum statuit cap. 3. Omne sacramentum, esse, vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum. Nihil enim horum praestat Extrema Vnctio, vt colligitur ex eodem ibidem. Quia purgationem, & illuminationem soli tribuit Baptismo, vtriusque verò perfectionem soli Confirmationi, & Eucharistiae. Nullus igitur effectus sacramentorum proprius superest, quem conferat Extrema Vnctio.

3. Vnctio infirmorum, quam praescribit Iacobus Apostolus cap. 5. epistola sua, est eiusdem rationis cum ea Vnctione, qua Marci 6. 13. perhibetur, vsos fuisse Discipulos in subsidium infirmorum, vt aperte significant, inter alios, Beda, Theophylactus, Lyranus, Dionysius Carthus. Franc. Lucas, & alij in dictum caput Marci, dū alteram alteri Vnctioni adiungunt, & vtramque simul exponunt, tanquam pertinentem ad eandem rem. Vnctio autem de qua meminit Marcus, non erat verum sacramentum, vt communiter docent Authores, & tanquam indubitatum supponunt, atque ex eo efficaciter conuincitur, quia passim adhibebatur quibusvis agrotis etiam non baptizatis. Ergo nec Vnctio, de qua loquitur Iacobus, est verum sacramentum. Nullum autem est fundamentum pro astringenda ratione sacramenti in

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Extrema Vnctione, secluso illo Iacobi testimonio, Quia videlicet vnice nituntur assertores huius sacramenti, omnesque aliae auctoritates, quae in eandem rem adducuntur.

4. Vnctio Extrema, quam adhibet Ecclesia moribundis, pluribus substantialiter differt ab Vnctione, de qua loquitur Iacobus Apostolus, quia Apostolus pluraliter inducit Presbyteros ad infirmum; eius deinde saluationem attribuit soli Presbyterorum orationi, & non etiam Vnctioni; rursus orationis efficaciam fundat in fide orantium; ac demum eiusmodi subsidium ponit Apostolus pro quouis indiscriminatim infirmo. Quae omnia patebunt clarè ex verbis Apostoli paulò post producendis. Ecclesia autem vnicum tantum Presbyterum adhibet pro vngendo vnoquoque infirmo, eumque putat esse sufficientem pro effectu desiderato, tametsi haereticus sit, & careat consequenter omni vera fide; eundemque effectum attribuit Vnctioni non minus, quam orationi; solisque demum moribus applicat istiusmodi Vnctionem. Quae patent ex communi sensu Theologorum, & ex Pontificali Romano. Ergo, Vnctio Extrema, qua vtitur Ecclesia, non est verum sacramentum, tametsi tale esset Vnctio, de qua loquitur Iacobus.

5. Extrema Vnctio constituitur actione vngendi, tanquam materia, & oratione vngentis, tanquam forma. Vnicuique autem infirmo adhibentur plures Vnctiones inuicem discontinuae; cum totidem orationibus distinctis inter se adaequate, vt patebit in quaestione sequenti. Ergo Extrema Vnctio, vt esset verum Ecclesiae sacramentum, non tamen esset vnum numero, pro vnoquoque subiecto, sed realiter multiplex.

Art. 1. Respondetur. Proponenda sunt initio verba Iacobi Apostoli, quibus praecipue nititur fides, & notitia huius sacramenti. Iacobus autem cap. 5. 14. Epistola sua sic habet: *Infirmatur qui in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* In quibus exprimuntur clarissime omnia, ad rationem veri nouae legis sacramenti, spectantia. Primum enim exprimitur Vnctio olei, quod est symbolum significatiuum nitoris conscientiae, vt apparet ex verbis Florentini indicatis supra, quaest. 52. art. 1. circa sacramentum confirmationis, idemque tradit Conc. Trid. circa hoc sacramentum sess. 4. cap. 1. de eodem, his verbis: *Nam Vnctio (olei, de quo loquitur) aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima agrotantis inungitur, repraesentat.* Eandem significationem continet in se expressius oratio Presbyteri, vt patebit quaest. sequenti. Additur deinde promissio gratiae alleviantis, & saluantis infirmum, atque remittentis peccata, idque ex vi vnctionis, & orationis. Quibus videlicet praemissis subinfertur eiusmodi effectus, tanquam procedens ex ipsis, atque existens dependenter ab eisdem, quod clarè denotat particula, & ter repetita post inductionem Presbyterorum, atque Vnctionem infirmi; & *saluabit, & alleviabit, & dimittentur*, haec autem constituunt re ipsa rationem veri nouae legis sacramenti, vt liquet ex dictis supra in communi, quaest. 1. Constat igitur ex praedictis Iacobi verbis Extremam Vnctionem esse verum Ecclesiae sacramentum; ita vt sola ista vox sacramentum in illis desideretur, quae etiam ipsa desideratur in sacris litteris, pro reliquis sacramentis. Pro nullo namque sacramento significando, vsurpatur in illis ista vox, sed sola exprimitur res ipsa, cui deinde eadem vox opportunè accommodata est. Nusquam verò res ipsa sacramenti

T t 2

clarius,